

vindicavit sibi genus humanum. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis ... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati* (3) Ita omnes in universum homines potestati iam imperioque suo subjectos, quod cunctorum ipse et conditor est et conservator, vere proprieque redimendo, rursus fecit iuris sui. *Non estis vestri : empti enim estis pretio magno* (4) Hinc a Deo instaurata in Christo omnia. *Sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo* (5) Cum delesset Iesus chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, affigens illud cruci, continuo quievere caelestes iræ; conturbato errantique hominum generi antiquæ servitutis liberata nexa, Dei reconciliata voluntas, reddita gratia, reclusus æternæ beatitudinis aditus, eiusque potiundæ et ius restitutum et instrumenta præbita. Tum velut excitatus e veterno quodam diuturno ac mortifero dispexit homo lumen veritatis concupitum per tot sæcula quæsitumque frustra : in primisque agnovit, ad bona se multo altiora multoque magnificentiora notum quam hæc sint, quæ sensibus percipiuntur, fragilia et fluxa, quibus cogitationes curasque suas antea finierat ; atque hanc omnino esse humanæ constitutionem vitæ, hanc legem supremam, huc tamquam ad finem omnia referenda, ut a Deo profecti, ad Deum aliquando revertamur. Ex hoc initio et fundamento recreata revixit conscientia dignitatis humanæ : sensum fraternæ omnium necessitudinis excepere pectora : tum officia et iura, id quod erat

(3) I Pet., I, 18-19. (4) I Cor. VI, 19-20. (5) Eph., I, 9-10.